



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

Fargna, Francesco de

Romæ, M. DCC. XIX.

Casus Unicus. Argumentum. Præpositura erecta ad Scalas Sanctas de
Jurepatronatus Familiæ Perettæ an sit incompatibilis cum Episcopatu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72172)

340 **Commentaria ad singulos Canones**
 dum, & post illum ad alium semper deveniat, absque eo,
 quod inter plures successores dividi possit.

C O M M E N T A R I U M.

EX hoc Canone hæc deducitur conclusio.

JUSPATRONATUS AD PRÆPOSITURAM, AD UNUM OFFICIUM SACRISTÆ, AD QUATUOR CAPPELLANIAS, ET TOTIDEM BENEFICIA ECCLESIASTICA, AD SCALAS SANCTAS ERECTA, COMPETIT FAMILIÆ PERETTÆ DE PRIMOGENITO, IN PRIMOGENITUM =.

1 Opera tanti Pontificis D. Sipientia verificavit, quod legimus apud Isaiam = *Locum Pedum meorum glorificabo, & ad Sanctam Civitatem Hierusalem adorabunt vestigia pedum tuorum* = dum Sixtus V. Scalas Sanctas Salvatoris nostri Sacris Pedibus, pretiosissimo ejus cruore resperis calcatas, & ab Hierosolymis, à Prætorio, ubi Pilatus præfuerat, Romam advectas, in Sanctiori loco ante ejusdem Sanctissimi Salvatoris nostri Cappellam prope Basilicam S. Joannis Lateranen., non finè magna Populorum ex omnibus Mundi Partibus confluentia, & veneratione reposuit, ac collocavit, per quas non nisi flexis genibus, orandi causa transire jussit; & insuper pro majori ejusdem Sancti Loci decore, atque honorificentia, erexit ibi, ac fundavit unam Præposituram, unum Sacristæ Officium, quatuor Cappellanas, & quatuor beneficia Ecclesiastica, reservando Juspatronatus ad ea omnia favore Familiæ Perettæ de Primogenito, in Primogenitum, sicuti antecedenter anno 1587. illud reservavit favore ejusdem Familiæ ad Præposituram, & beneficia per eum erecta in Cappella ad Præsepe Jesu Christi in Basilica S. Mariæ Majoris, ut in ejus *Constitutione la 58. §.24.*

Quoad hanc conclusionem sequens examinatur Casus.

A R G U M E N T U M.

Præpositura erecta ad Scalas Sanctas de Jurepatronatus Familiæ Perettæ an sit incompatibilis cum Episcopatu.

S U M M A R I U M.

- 1 *An Residentia, & servitium personale tolli possit per consuetudinem.* Vide ibi, & num. 2. & 5.
- 3 *Ex facto Patroni argui an possit Beneficium non esse residentiale.*
- 4 *Præpositura erecta ad Scalas Sanctas est incompatibilis cum Episcopatu.* Et quare Vide ibi.

C A S U S U N I C U S.

PLuribus ab hinc annis possidebat R. P. D. Joannes Franciscus Tendorinus nuper assumptus ad Episcopatum Civitatis Castellanae, & Hortanae, Præposituram ut supra ad Scalas Sanctas à Summo Pontifice Sixto V. erectam, cumque ipse sub obtentu Decreti Consistorialis, quo Sanctissimus Dominus Noster eidem indulgit, retentionem beneficiorum compatibilium, putet se retinere posse dictam Præposituram; & è contra Marcus Ab-

bas Giglius, qui præsentationem ad eandem Præposituram obtinuit à Duce Cajetano Sforzia Cæsarino, Peretto, Præposituræ aliorumque beneficiorum Patrono, contendat ad se pertinere, & se in illa esse instituendum; quæsitum fuit in Sac. Congreg. Concilii = *An Præpositura ad Scalas Sanctas sit incompatibilis cum Episcopatu Civitatis Castellana, & Hortana* =

Putabat Reverendissimus Episcopus, se unà cum Episcopatu retinere posse Præposituram in sequelam Decreti Consistorialis sibi indulgentis retentionem compatibilium ex sequentibus rationibus relatis in consueto *Folio* non minus doctè, quàm eruditè extenso ab R. P. D. meo Lambertino Secretario, nimirum, quia licèt in Bulla erectionis impositum sit Præposito, Sacristæ, & reliquis Cappellanis onus celebrandi per se ipsos; observantia nihilominus inolevit, quod ipsi, ut plurimum celebraverint per alios, cumque hæc observantia sit antiquissima, & penè immemorabilis, uti desumitur ex libris Missarum, qui inventi fuerunt, & qui incipiunt ab anno 1649. infertur nihil aliud esse quærendum, cum nemo non sciat,

sciat, quod residentia, five servitium personale tolli potest per consuetudinem, quamvis illud in fundatione sit præscriptum, juxta *Gloss. in cap. Cum omnes verb. consuetudinem tit. de constit. quam laudat, & sequitur Gonzal. ad regul. 8. Cancell. gloss. 5. n. 107.*

2 Accedit, quod hæc observantia dici nequit suo legitimo fundamento destituta, cum etenim Sixtus Papa V. pro congrua dote tum Præpositi, tum aliorum, assignaverit annuam perpetuam pensionem scutorum quadringentorum super fructibus Prioratus Ecclesiæ Æfinæ, nec non centum, & quinquaginta loca montium, ita ut Præpositus singulis annis habere deberet scuta bis centum, Sacrista scuta centum, & quadraginta, Cappellani singuli scuta centum, & decem, & Clerici scuta quinquaginta, uti legitur in §. 8. citata Bullæ, propter obitum Pontificis immediatè secutum, assignatio Pensionis super Prioratu non habuit effectum, redactoque toto fundo ad loca 150. montium non vacabilem, Præposito nihil aliud remanent, quam scuta 80. annua, & Cappellani sola scuta 40. quo stante, potuit, scientibus potissimum, & non reclamantibus Patronis, qui ut plurimum fuerunt S. R. E. Cardinales, introduci consuetudo eximens Præpositum, & Cappellanos ab onere celebrandi per se ipsos, & multo magis, cum Pontifex ipse, qui dictum onus imposuit, in Bulla institutionis, Præposito dederit facultatem concedendi Cappellanis licentiam celebrandi per alium Sacerdotem ab ipso approbandum, in hypothesi, in qua ipsi essent legitime impediti, sicuti legitur in Bulla §. 7. hæc siquidem circumstantia patefecit præcipuam ejus intentionem fuisse, ut Missæ celebrarentur, nec consequenter ab eodem fuisse volitam in Præpositura, & Cappellaniis residentiam illam veram, & præcisam, ex qua oritur incompatibilitas cum cæteris beneficiis residentiam requirentibus.

3 Absque eo, quod hæc impugnari valeant à Domino Duce moderno Patrono, ipse siquidem nominavit R. P. D. Joannem de Matthæis Sanctiss. Domini Nostri Cubicularium honoris, & modo Prælatum, & Governatorem Civitatis Montis Alti, nominavit inquam, ad alteram ex Cap-

pellaniis vacantem, cumque hic in Urbe residere non possit, ex facto ipso Ducis Patroni desumitur, non adesse in Cappellaniis strictum onus celebrandi per se ipsum, & sic cessare quoad ipsas quamcumque incompatibilitatem cum aliis beneficiis licet residentialibus.

4 His tamen non obstantibus, meum aperiendo votum in hac causa censebam præfatam Præposituram esse incompatibilem cum Episcopatu; siquidem perpensis ejusdem Præposituræ fundamentalibus qualitatibus, agnoscebam ipsam habere onus, seu potius honorem præsendi Cappellaniis, & Clericis, ut legitur in §. 6. Bullæ ibi = *Unam Præposituram, quæ inibi Dignitas censeatur pro uno Præposito, qui Cappellanorum, & Clericorum hujusmodi caput existat, ibidemque præsit* = Insuper habere onus celebrandi per se ipsum; ut in §. 7. ubi imponitur Præposito, Sacristæ, & Cappellaniis onus celebrandi Missas per se ipsos, & Præposito datur facultas concedendi licentiam Cappellanis celebrandi per alios, si legitime fuerint impediti, subdendo, quod debeant illi Præposito obedire, tanquam membra Capiti ibi = *Qui quidem Præpositus, Sacrista, & Cappellani teneri qualibet hebdomada &c. Missam in novis sacellis prædictis per se ipsos, aut si quo die ejusdem Præpositi arbitrio legitime impediti fuerint, per alium Presbyterum ab ipso Præposito ad hoc specialiter approbandum celebrare, ac ministrare* = Ac denique habere jurisdictionem, & auctoritatem instituendi Sacristam, Cappellanos, & Beneficiatos, ut in §. 11. ibi = *Institutio verò ad præsentationem hujusmodi Vicario Urbis prædicto, quo ad Præposituram tantum, quo ad Sacristiam verò, Cappellanas, & Beneficia, sive Clericatus hujusmodi ipsi Præposito pro tempore existenti concessa sit* = Advertebam etiam hujusmodi Præposituram unâ cum dictis beneficiis fuisse erectam in hoc sancto Loco pro ejus majori cultu, ac honorificentia. Ex quibus omnibus illam esse in gradu Præposituræ residentialis constitutam, adeoque incompatibilem cum Episcopatu, minimè vedetur ambigendum, ex superius deductis *Par. II. Can. XXVII. Caf. IX. & Caf. X.*

Nullatenus adversante observantia, quæ erat fundamentalis basis prætensionis

nis Reverendissimi Episcopi, ea namque non verificatur in facto, nec relevat in jure. Non verificatur quidem in facto, tum quia ex Regestis S. Congregationis Concilii habetur, quod Joannes Puccius Secretarius Cardinalis Montis Alti, & Præpositus hujus ejusdem Præposituræ supplicavit pro licentia celebrandi per alium, quæ attenda ejus infirmitate concessa fuit die 3. Martii 1657. Tum quia in Regesto Tabellarum onerum Missarum legitur, quod Præpositus, & cæteri Cappellani habent onus celebrandi per se ipsos, ex quibus potius resultat observantia in contrarium, absque eo, quod vis ulla fieri valeat in celebrationibus Missarum per alios, quæ factæ asseruntur à Cappellanis, cum id potuerit procedere à licentia Præpositi facultatem habentis eam elargiendi, in casu impedimenti.

5 Non relevat autem in jure, tum quia non percutit alia onera personalia Præpositi, præsidendi nimirum, & alia, ut supra faciendi, tum quia, aut prætenditur hujusmodi observantia ante Concilium Tridentinum; & hoc est impossibile, quia ante Concilium non debebatur hæc Præpositura; Aut prætenditur post Con-

cilium, & id pariter est impossibile, cum illud contra claram Fundatoris voluntatem, reiiciat contrariam observantiam, tamquam abusum, & corruptelam, ut in cap. 5. sess. 25. de reform. de quo supra Par. V. Can. XI. & tradit Rot. decis. 496. n. 9. par. 1. & decis. 216. n. 4. & seq. par. 2. rec. Addito præsertim, quod Bulla erectionis hujus Præposituræ, continet clausulam sublata, & decretum irritans, ut in §. 12. & 13. per quæ annullatur, & inficitur quæcumque contraria observantia Rot. decis. 400. par. 9. & in Colonien. Canonis 13. Junii 1699. §. Prout coram Eminentissimo Scotto.

Minusque urget reddituum diminutio, ac factum Domini Ducis, qui R. P. D. Matthæjum præsentavit, quia reddituum diminutio non sufficit in casu præsentis pro eximendo onere imposito in fundatione, & quia Patronus præsentavit R. P. D. de Matthæis, tempore, quo non erat declaratus Gubernator Montis Alti.

Et ita resolutum fuit ab eadem S. Congreg. in Romana Præpositura 1. Aprilis 1719.

C A N O N X X I

GREGORIUS XIV. *Constit. VI. §. 14. Bull. Rom. Tom. 2.*

Ann. 1592.

ONus Apostolicæ servitutis: *Et infra.* Hortamur verò in visceribus Domini Nostri JESU Christi, ac paterna charitate monemus eos omnes, qui ab hac Sancta Sede nominandi, præsentandi, vel etiam eligendi futuros Episcopos, vel Abbates, jus habent, ut seriò apud se cogitent, quanti momenti sit hoc negotium, ex quo salus Animarum, tranquillitas Reipublicæ, incolumitas Religionis, propagatio Fidei, aliaque permulta, & maxima bona dependent. Illud etiam sæpe, & sæpius ad mentem revocent, quod Sancta Tridentina Synodus admonet, nihil se ad Dei gloriam, & Populorum salutem utiliùs posse facere, quam si bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoveri studeant, eosque alie-

nis